



Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologica

Ex Sacris Scriptvris, Conciliorvm Pontificvmqve Decretis, Et Sanctorvm
Patrvm Ac Doctorum Placitis Expressa ; In qua, quidquid tum ad fidei
mysteria sanè ac rectè intelligenda, & ab erroribus quibusvis secernenda,
tum ad sacramenta debitè conficienda & ministranda, tum ad actiones
humanas iuxta ...

Abelly, Louis

Coloniæ Agrippinæ, 1658

VI. An omnes beati aequaliter Deum videant.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38954

SECTIO VI.

An omnes beati aequaliter Deum videant.

CVM (vt dicit S. Aug. lib. 1. de Trinit. c. 9. & 15.) in visione clara Dei sit tota merces, visioque illa sit summum nostrum bonum, vnde communiter Theologoi essentialē hominis beatitudinem in ipsa Dei visione constituant; hinc intelligi potest, cūm queratur, an beati aequaliter Deum videant? idem esse ac si queratur, an omnes beati aequalē gloriae gradum obtineant?

Dicendum est igitur Sanctos in cœlo non aequali modo videre Deum, nec aequaliter esse beatos. Huic veritati, quæ de fide est, oppositus est error Iouinianus, qui (yt testatur S. Hieronymus lib. 2. cont. Iouin.) assertebat nullam esse inter beatos, siue in ratione meriti, siue in statu gloriae, inæqualitatem.


Refellitur hic error, & nostræ fidei veritas probatur 1. ex scriptura S. Ioan. 14. In domo Patris mei mansiones multæ sunt: 1. ad Cor. cap. 15. Stella à stella differt in claritate; sic & resurrectio mortuorum: & cap. 3. Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem: & 2. ad Cor. 9. Qui parce seminat, parce & metet.

Probatur 2. ex communi consensu totius Ecclesiae, quæ sanctissimam Dei matrem super omnes choros angelorum in cœlestibus regnis exaltatam esse prædicat.

Probatur 3. ex S. Gregorio lib. 4. mor. cap. 31. Quia in hac vita discretio est operam, erit in illa præcul dubio discretio dignitatum.

Obijciebat Iouinianus parabolam operariorum S. Mat. 20. quibus, licet inæquali tempore & labore operantibus, aequalis merces unius denarij reddita est. Resp. cum S. Aug. Ser. 59. de verb Dom. cap. 4 per aequalitatem denarij cuique operariorum soluti, intelligendam esse aequalitatem durationis in beatitudine; hæc enim in omnibus æterna futura est: vel cum S. Thoma 1. 2 q. 5.

a. 2. per denarium intelligi obiectum beatitudinis, quod in se unum idemque est pro unoquoque beatorum scilicet essentia divina, qua eadem ab omnibus clare videbitur. Quae tamen aequalitas durationis vel obiecti, non impedit inaequalitatem visionis & fruitionis ipsius obiecti pro ratione inaequalium meritorum cuiuslibet beati: etenim, ut recte docet S. Thom. i. p. q. 12. a. 6. ille, qui plus habuerit de charitate, plus participabit de lumine glorie, ex cuius proinde maiori, vel minori intensione secundum mentem S. Doctoris provenit maior vel minor perfectio visionis beatifica.



TRACTATUS III.

De sanctissime Trinitatis Mysterio.

Cum ex omnibus Christianae fidei mysteriis nullum sit, quod aut violentius damnam ab initio nascentis Ecclesia impugnauerit, mysterio sanctissima Trinitatis, aut in eius impugnatione pertinacius perseverauerit (ut satis euincunt Arrianorum, Sabellianorum, Patressianorum, Macedonianorum heres, & alia similes pestes ex abyssi puto emissa, quae tot in Ecclesia strages ediderunt) ideo maximi interest fidem sanam & perfectam de tam sublimi & ineffabili mysterio concipere & seruare; ita ut illius face praelucente verum a falso, certum ab incerto in re tanti momenti secernere valeamus; praesertim cum (ut recte dixit S. Augustinus lib. i. de trinit. c. 5.) Nec ullibi periculosius erretur, nec aliquid laboriosius queratur, neq; quidquam fructuosius inueniatur. Et quoniam non humana solum, sed etiam angelicamentis captum longe superat; idcirco ad explicandas

tam